

nem: & si aliquid aliud intendunt, facilliter euelli possunt: quia concretum ex vi modi significandi non importat unum per accidens; sed unum

per se: ut sæpe diximus: nec Aristot. oppositum vult: ut eum optime explicat Doctor quæst. tertia de Genere.



PRAEDICAMEN-

T A S C O T I.

DE SUBSTANTIA.

Q V A E S T I O I.

Utrum aliquis homo sit prima substantia?

Substantia autem est, quæ proprie, principaliter, & maxime, dicitur: quæ nec de subiecto dicitur; neque in subiecto est: ut aliquis homo, aliquis equus, &c. Cap. de Substantia.



IRCA capitulū de substantia queritur: utrum aliquis homo sit prima substantia? Quod sic videtur, auctoritate Aristot. qui sic exēplificat de prima substantia:

ut aliquis homo: aliquis equus: & inferius; ubi intendit, quod liber aliud à primis dici de primis, vel esse in eis; arguit sic: animal prædicatur de homine: igitur de aliquo homine, per aliquem hominem intelligens primam substantiam.

Item, non est secunda substantia: & inter illam, & primam, non est medium: igitur est prima substantia: probatio primæ propositionis: si esset secunda substantia; non esset nisi species, sed hoc est falsum: quia hæc est vera: nullus homo est species: igitur sua contradictoria falsa.

Item, si aliquis homo non esset prima substantia; posset prædicari de multis: & ita hæc videtur esse vera: omnis homo est aliquis homo: quia non posset esse commune ad alia, quam ad supposita homi-

nis: sed illa non est vera: probatio: tum quia prædicatum vniuersalis affirmatiue confunditur tantum confuse: & ita per accidens, ad confusionem alterius, ut subiecti: igitur potest confundi per se: sed hoc, quod dico: aliquis homo: non potest confundi per se: sic dicendo: omnis aliquis homo. Tum quia omne prædicatum vniuersalis affirmatiue potest esse subiectum particularis conuertentis illam vniuersalem: tale non est hoc, quod est, aliquis homo.

Si dicatur, hanc: omnis homo est aliquis homo, conuertendam esse in hanc: aliquis homo est homo.

Contra: istæ differunt: omnis homo est homo: & omnis homo est aliquis homo: ergo earum conuersæ differunt.

Ad oppositum: aliquis homo prædicatur de pluribus: ergo non est prima substantia: antecedens patet. quia iste homo est aliquis homo: & iste homo est aliquis homo.

Item, sequitur: iste homo currit: ergo aliquis homo currit: & non è conuerso: ergo aliquis homo est prius: & ita communis: ergo non est prima substantia.

Item, hæc est vera: omnis homo est aliquis homo: tum quia sua contradictoria est impossibilis: aliquis homo non est aliquis homo. Tum quia quælibet singularis est vera: igitur aliquis homo prædicatur

catur

catur de omni homine: igitur non est prima substantia.

Dicitur ad quæstionem, quod aliquis homo est prima substantia: nec dicitur de multis, nisi æquiuoce.

Ad secundum dicitur, quod consequentia non valet, nisi distincto consequente:

Ad tertium dicitur: quod illa vniuersalis est falsa, & sua contradictoria vera; sumendo, aliquis homo, in prædicato, pro prima substantia: ut, scilicet, homo affirmatur de homine: quia aliquis homo non est aliquis homo: ut Sortes non est Plato: inductio non valet: sed est figura dictionis procedendo à pluribus determinatis ad unam: & ita commutatur quale quid in hoc aliquid.

Contra istud: ex hoc sequitur: quod ad vniuersalem non sequitur particularis, nisi præfacta distinctione: & quod ad singularem non sequitur particularis, nisi præfacta distinctione: & quod ad singularem non sequitur particularis; nisi præfacta distinctione: etiam quod particularis propositio non habet contradictoriam; nisi præfacta distinctione: & tunc non vniuersalis sibi contradicit; sed particulari affirmatiue in hoc sensu singularis negatiue sufficienter contradiceret: quia in eis est affirmatio, & negatio eiusdem de eodem: & quod particularis propositio non sit simpliciter syllogizabilis, & absolute, vel non nisi sicut singularis: & quod nullus syllogismus absolute valeat; quia nullus conuersus absolute valet: quia in omni syllogismo; vel in suo conuersuo, est aliqua propositio particularis, quæ absolute non est syllogizabilis: & quod particularis, & in distantia, non conuertuntur: quia vna, ut indistincta, habet singulares pro causis veritatis; quæ habet particularis pro sensibus multiplicatis: & quod æquiuocatio non sit in dictione: quia nec homo multiplex in se est: nec aliquis homo: quia, aliquis, nec in se est multiplex, ut manifestum est, nec ut alij additur: probatio: quia additio alicuius non confert sibi nouum significatum.

Quia ista videntur magis in conuenientia contra Aristot. in tota Logica, & contra communem naturam syllogismi, & contradictionis: quam exponere unam auctoritatem Aristot. Videtur ergo potius dicendum; quod aliquis homo non

est prima substantia: id est, non significat tantum unum suppositum hominis: sicut iste homo; propter inconuenientia prædicta.

Sed propter auctoritatem Aristot. intelligendum: quod homo de se indifferens est ad multas acceptiones, scilicet, pro voce, intentione; pro supposito, signa ergo, ut omnis, aliquis, tibi addita; indifferentiæ ad intentiones; & ad vocem tollunt: & determinant ipsum ad acceptionem tantum pro supposito: sed adhuc in illa acceptione est indifferens ad quodcunque suppositum: igitur Aristot. volens primam substantiam exprimere; ut distinguitur contra secundam; videlicet, ut ei inest intentio secundæ substantiæ, & tamen quodammodo in generali; dixit: ut aliquis homo: id est, quod liber, quod est iste homo.

Alio modo potest dici: quod per aliquis homo, ponitur prima substantia determinata, indeterminate tamen, & tunc exemplificauit Aristot. de prima substantia determinata, licet indeterminate, ut de hac, vel illa.

Sed forte aliquis homo non significat primam substantiam determinatam, neque determinate, nec indeterminate: licet pro illa supponat, quando est subiectum particularis propositionis: quod non significet; patet, per veritatem huius: omnis homo est aliquis homo: prima enim substantia determinata, siue determinate, siue indeterminate, sumpta, non prædicatur vere de omni homine: ita & homo, quando est subiectum indistinctæ, supponit primam substantiam determinatam, indeterminate: non tamen illam significat. Ideo posterior modus dicendi videtur conuenientior.

Ad primum argumentum patet: quia Aristot. nominat primam substantiam quodammodo in communi; per commune sumptum pro acceptione pro supposito.

Ad aliud dico: quod aliquis homo est ens per accidens compositum ex re primæ intentionis, & secundæ: & nec est prima substantia, nec secunda; sed medium accidentale inter illa: & tale medium inuenitur inter speciem specialissimam, & indiuiduum: ut homo albus: licet non medium essentialiale.

Contra: aliquis homo prædicatur de pluribus differentibus numero in quid; secundum

secundum prædicta: igitur est species.

Item, ens per accidens est compositum ex rebus diuersorum generum: huiusmodi non est aliquis homo: quia modus intelligendi hominem non est res allicuius generis.

Ad primum potest dici, quod aliquis homo de nullo prædicatur in quid: quia ens per accidens non habet quid.

Contra hoc. tunc pari ratione prædicatio hæc non est in quid, aliquis homo est animal.

Cap. 4.

Item, primo libro Elenchorum dicit Arist. eadem est definitio propositionis; & vnius solius propositionis: & rei, & vnius rei: ista tamen vna sola res est compositum ex re primæ intentionis, & secundæ: igitur tale compositum potest habere definitionem in quid.

Item, aliquis, dicit tantummodo modum intelligendi hominem pro supposito: & tantum in illa acceptione dicit quid suppositorum: igitur aliquis non prohibet hominē prædicari in quid de illis: imo magis confert ad hoc.

Pro responsione istorum oportet intelligere, quod omne syncategorematicum in prædicato est pars prædicati: cuius probatio est per impossibile: aliter ex veris sequeretur falsum sic, nullus homo est omnis homo: iste homo est homo: si signum in maiori non esset pars prædicati; posset inferri in conclusione: ergo iste homo non est homo: quia ad habendum identitatem maiori extremitatis, non oporteret ipsum sumi in maiori, & conclusione, cum eodem signo; si illud non esset pars prædicati: sicut manifestum est in secundo modo secundæ figuræ: quia maior extremitas non sumitur cum eodem signo in conclusione, & maiore: & ita ex veris sequeretur falsum.

Item, ostenditur ostensue magis propter quid: quia syncategorematicum nunquam habet respectum ad præcedens: aliter negatio subsequens compositionem posset propositionem facere negatiuam; sicut, & negatio præcedens: igitur syncategorematicum additum prædicato non determinat ipsum in comparatione ad subiectum: & ita non in quantum extremum: quia in quantum est extremum, respicit aliud extremum: sed omne syncategorematicum determinat extremum, in quantum est

extremum: igitur, nullum additum termino in prædicato est syncategorematicum; sed pars prædicati: tamen absolute intellectum terminum, cui additur, determinat: & ita est syncategorematicum respectu partis prædicati: sed non respectu prædicati: quia ipsum est alia pars prædicati: sed syncategorematicum additum subiecto non est pars subiecti: quia determinat illud, cui additur, in comparatione ad prædicatum. His visis patet ad rationem: quia sic dicendo: aliquis homo est animal: est, aliquis, tantum syncategorematicum, & homo tantum subiectum: & ideo potest propositio esse per se: sed non est ita; ubi aliquis homo prædicatur.

Ad aliud dico, quod vnus, & solus, possunt esse categorematica, vel syncategorematica: primo modo intelligitur Arist. in 1. Elenchorum: quia eadē est definitio rei, & vnius solius rei: id est, rei in se indiuisæ, & ab alijs diuisæ: quia illud est res per suam essentiam: non autem intelligit, vt vnus, & solus, sunt syncategorematica.

Ad tertium concedo: quod aliquis dicit modum intelligendi hominem pro supposito: tamen sub tali modo intelligendi non potest homo prædicari, nisi ille modus sit pars prædicati, propter rationem supradictam: & illud totum non prædicatur in quid: quod si posset homo prædicari per se sub tali modo, manente modo; posset prædicari in quid: & quia nihil dicitur species, nisi in quantum aptum est prædicari: homo sub isto modo non potest esse species.

Ad aliud superius, quod fuit contra responsionem. Ad secundum: cum dicitur: ens per accidens est compositum ex rebus diuersorum generum: illud potest negari: quia quidquid non est essentialiter idem cum alio: siue sit res alterius generis, siue non: compositum cum illo aliquo facit ens per accidens.

Ad tertium principale concedo, hæc esse veram: omnis homo est aliquis homo. cum ostenditur primo, quod non: quia prædicatum non est confundibile per se: nego: nam in contradictoria prædicta vniuersalis erit idem prædicatum, quod & in ista, & confusum confuse, & distributiuè: nec aliter oportet confundibile per accidens esse per se confundibile.

Vel aliter potest concedi, quod in quatuor

præ-

prædicatur aliquis homo; intelligatur specificare rem huius verbi, est; ita quod prædicatum est hoc totum: ens aliquis homo: & illud potest confundi per lignum vniuersale affirmatiuum immediate additum. Per hoc dico ad aliam probationem: quia ista vniuersalis conuertitur in hanc: aliquod ens aliquis homo est homo.

Substantia est, quæ proprie principaliter, &c. nota: quod diuisio substantiæ in primam, & secundam, non est diuisio generalissimi in species; sed subiecti in accidentia: quia substantia, secundum quod intelligitur, secundum quam considerationem pertinet ad Logicum, diuiditur in intentiones sibi accidentes.

Summa textus.

AGITATIS quæstionibus à Doctore super quatuor capita huius libri, in quibus de Antepredicamentis, & de Prædicamentis in genere disputauit; incipit disputationem super caput quintum de substantia. Et suppositis quinque conclusionibus à Philosopho assignatis: videlicet prima, quod duplex est substantia; prima, & secunda: prima, quæ nec est in subiecto; nec dicitur de subiecto: vt aliquis homo: secunda, sunt genera, & species, quæ dicuntur de primis; & sub eis primæ continentur: vt homo, animal.

Secunda, in hoc secundæ substantiæ ab accidentibus differunt: quod illa prædicantur de primis nomine, & ratione; hoc est essentialiter: accidentia vero non, sed tantum nomine; id est, accidentaliter.

Tertia, reliqua omnia, præter primas substantias; aut sunt in eis innæsiue, vt accidentia: vel prædicantur de primis: vnde destructis, impossibile est aliquid aliorum remanere.

Quarta, inter secundas substantias species est magis substantia: quia præter primas magis substantia: inter species autem vna non est magis substantia, quam alia: sicut nec inter primas.

Quinta, sex sunt proprietates substantiæ: prima quæ omnibus substantiis est communis: quod non est in subiecto. Secunda, quod omnis substantia secunda prædicatur de primis. Tertia, prima substantia significat hoc aliquid: secunda quale quid. Quarta, quod substantiæ nihil est contrarium. Quinta, substantia non suscipit magis, & minus. Sexta, substantia est susceptiua contrariorum.

His igitur à Doctore præsuppositis circa exemplum pro prima substantia à Philosopho adductum, interrogat de eius veritate; & quod aliquis homo sit prima substantia, probat auctoritatibus, & rationibus, quæ patent in textu. Postea arguit ad oppositum tribus argumentis, quibus probat; quod aliquis homo non est prima

substantia: adducitque aliquorum opinionem assertentium, aliquem hominem esse primam substantiam: quorum fundamentum est auctoritas Aristot. & rationes possunt esse, quas Doctor apponit: & ad argumenta, quæ ad oppositum conficit Doctor, respondent: quod aliquis homo non dicitur de multis, nisi à quocumque: & hæc est solutio ad primum, & solutiones ad secundum, & tertium in textu patent.

Doctor tamen subtilis subtiliter hanc opinionem, & argumentorum solutiones, multis in convenientibus logicalibus infringit: quare concludit dicens primo. Aliquis homo non est prima substantia: id est, non significat tantum vnum individuum hominis; sicut hic homo: patet; nam homo est indifferens ad supponendum pro ipsa voce: vel pro intentione; vel pro supposito; id est ad supponendum materialiter, simpliciter; & per sonaliter: & signa determinantia illum; vt omnis, & aliquis; determinant illum, vt pro supposito supponat; indifferenter tamen ad quodcumque: igitur Aristot. volens primam substantiam exprimere, dixit vt aliquis homo, indifferenter; & vage id est, quodlibet, quod est iste homo: & hanc conclusionem clarius exprimit ibi; alio modo potest dici; ubi ait, quod aliquis homo significat primam substantiam determinatam indeterminatam: & iste homo significat eam determinatam, & determinatam.

Secundo dicit. Aliquis homo, licet supponat pro prima substantia, quando est subiectum in propositione particulari, non tamen illam significat, vt determinatam determinatam; aut indeterminatam: patet: quia aliquis homo prædicatur de omni homine; vt in ista: omnis homo est aliquis homo; sed prima substantia, quomodocumque sumatur; non prædicatur verè de omni homine: ergo aliquis homo non est prima substantia; licet pro illa supponat in propositione particulari: sicut homo in propositione infinita supponit primam substantiam determinatam indeterminatam, non tamen significat illam.

Denique argumenta soluit: quorum solutiones patent: & ex dicendis articulo sequente magis patebunt.

ARTIC. I.

An individuum vagum dicat vnum conceptum communem?

PRIMA sententia est Caietani prima parte quæst. 30. quem sequuntur Sanchez lib. 3. de specie, quæst. 18. Rubius, quæst. 7. qui omnes afferunt individuum vagum esse terminum communem indeterminatem: probatur hæc sententia primo, iste terminus, aliquis homo, & hic homo, distinguuntur ex parte modi significandi per illa syncategoremata: sed ly, hic, significat modum singularem: ergo ly, aliquis, non significat modum singularem, sed communem.

Secun-

Concluf.

Concluf.

Concluf.

Concluf.

Concluf.

Concluf.

Concluf.

Concluf.

Concluf.

Concluf.

Sentent.

Argum.

2. Argum. Secundo, aliquis homo secundum idem nomen, & secundum eandem rationem, prædicatur de pluribus: ergo est uniuocum. Antecedens probatur: aliquis homo significat naturam humanam cum modo existendi incommunicabiliter: sed hoc significatum conuenit pluribus secundum eandem rationem: quia Petrus est homo incommunicabiliter existens: & Paulus similiter; & de illis, non solum sub disunctione; sed etiam diuisim, prædicatur dicitur enim: Petrus est quidam homo: & Paulus est quidam homo.

3. Argum. Tertio, aliquis homo potest esse subiectum contradictorium: ista enim enuntiationes: omnis homo est animal: aliquis homo non est animal: contradictoriae sunt: ergo est terminus communis uniuocus.

Confirm. Confirmatur: prædicatio hæc vera est: omnis homo est aliquis homo: ergo non significat rem aliquam determinatam: alias enim propositio esset falsa, sicut ista: omnis homo est Petrus: vel omnis homo est iste homo.

2. Sentent. Secunda sententia est aliorum asserentium indiuiduum vagum esse æquiuocum, atq; adeo tantum de pluribus æquiuocè prædicari: sicut hic terminus Petrus.

3. Sentent. Tertia sententia est Doctoris quæst. secunda de Specie, & in hac quæst. ac quæst. sequente pro qua notandum primo: quod indiuiduum vagum est terminus communis affectus his signis particularibus, aliquis, quidam, & alijs similibus: ut aliquis homo.

2. Notand. Secundo notandum ex Doct. in præsentis s. item ostenditur ostensiuè: quod syncategorema positum à parte subiecti non est pars subiecti, sed est determinatio subiecti: positum uero à parte prædicati est pars prædicati: & ultra hoc determinat aliam partem prædicati tantum: sed nullo modo determinat subiectum.

1. Nota. Tertio notandum ex Doct. ad secundum, quod indiuiduum vagum est quasi medium inter terminum communem, & terminum singularem determinate sumptum: distinguitur enim à termino communi uniuoco: quia hic immediate significat rationem communem pluribus; quæ non significat indiuiduum vagum: distinguitur etiam à termino singulari determinatè sumpto: quia hic significat determinate modum existendi determinatum; & certum: indiuiduum autem vagum significat singulare determinatum, indeterminate tamen, uage, & indefinite; hoc scilicet vel illud.

Conclusio. Dicendum: indiuiduum vagum, ut aliquis homo, non significat hominem in communi; nec determinate aliquod indiuiduum in particulari; sed uage, cõfuse, & indeterminate: hæc est Doct. locis citatis, quam sequitur Valera lib. 1. dist. 4. art. 2. quæst. 4. & probatur primo: tum ex vi ipsius nominis indiuidui uagi, quod denotat significare uage, hoc, vel illud. Tum etiam ex illius resolutione: resoluitur enim per descensum disunctiuum: ut in Summulis patuit: ergo.

Secundo, quidquid est commune uniuocum, potest affici signo uniuersali, & particulari, cum possit accipi copulatiue, & coniunctè, pro omnibus suis particularibus simul: vel disunctiuè,

pro hoc vel illo: sed aliquis homo non potest affici huiusmodi signis: non enim dicitur, omnis aliquis homo: aut aliquis aliquis homo: ergo non significat rationem communem.

Tertio, hic terminus, aliquod indiuiduum, non significat aliquam rationem communem omnibus indiuiduis, sed hoc, vel illud indiuiduum uage, & indeterminate: ergo, nec aliquis homo: quia idem est dicere: aliquis homo currit: ac aliquod indiuiduum hominis currit.

Ex quibus patet: quod licet Doctor s. sed forte aliquis homo dicitur: aliquem hominem non significare primam substantiam, nec determinate, nec indeterminate: & quod iste modus dicendi uideatur conuenientior primo: nihilominus in eius doctrina communi stando priori modo standum est, ut ex locis supra dictis constat.

Ad argumenta: ad primum patet ex dictis: nam hic homo significat primam substantiam determinatè: aliquis homo uero indeterminate: & hoc ad eorum distinctionem sufficit.

Ad secundum dico: quod aliquis homo tantum significat hoc, vel illud indiuiduum: & idè prædicatur de pluribus: quia habet quendam communis: cum indeterminate significet.

Ad tertium dico: quod aliquis homo est cõ. trictorium particulare.

Ad confirmationem dico, illam prædicationem esse veram propter modum communem, quem importat aliquis homo.

ARTIC. II.

Quæ sit ratio formalis huius Prædicamenti?

ALIQUO modo ex supra dictis quæst. vnica Antepredicam. artic. 3. & 4. patet huius difficultatis solutio, quam Doctor, ut nimis facilem in præsentis prætermisit: sed pro illius pleniori intelligentia notandum primo: quod ly, per se, quod, modum intrinsecum huius generalissimi constitutum, supra appellauimus, prout ad præsens attinet; multiplicitè sumitur. Primo, ut distinguitur contra per accidens: in quo sensu, per se, importat ens per se unum, perfectum, & completum; siue sit substantia; siue accidens, quale est in decem generis diuisum. Secundo, sumitur pro esse completo essentia, existentia, & substantia. Tertio, sumitur pro modo positiuo, & reali entis absolute, ad quem consequitur non esse in alio: & ut sic est duplex: completus, & incompletus: primus est, qui debetur, vel qui sequitur ad substantiam prædicamentalem: secundus est modus substantia incompletæ, ut materia, vel forma; & tale esse per se in communi; ut abstrahit à completo, vel incompleto; consequitur ad substantiam transcendentalem, & communem ad omnem substantiam, completam, & incompletam, distinguitque eam ab accidente etiam transcendentally sumpto, abstracto à completo, & incompleto; cui, ut sic, conuenit esse in alio: quod esse,

Corollar.

Ad primũ.

Ad secundum.

Ad tertium.

Ad Confir.

1. Notand.

esse, in præsupponitur ad inhærentiam, siue actualem, siue aptitudinalem: nam inhærentia aptitudinalis est passio accidentis; & esse, in, est modus eius intrinsecus, qui semper proprijs passionibus præsupponitur.

2. Notand. Secundo notandum: substantiam multipliciter dici: primo pro cuiuscunque rei essentia; quæ, ut sic, Græcè dicitur vsia; in quo sensu est ad substantiam, & accidens communis. Secundo, sumitur pro quacunque re, quæ non sit accidens: siue sit substantia completa, siue incompleta; siue nitave, aut infinita. Tertio, pro substantia completa finita: & hoc ultimo modo, ut abstrahit à substantia completa, & composita ex genere, & differentia; & ab omni existentia, seu substantia est genus supremum diuis Prædicamenti, constitutum tantum ex ente reali per se, & ex alia quidditate nobis ignota; ad quam sequitur modus essendi per se abstrahens ab omni modo essendi per se, essentia; existentia; & substantia: & substantia in hoc sensu sic notificari potest: est ens per se incompletum, cui per se existere, & subsistere independentè debetur: sicut etiam substantia transcendentis potest explicari: est ens, cui conuenit esse per se independentè ab alio, ut à subiecto inhærentis: quod addo, propter formas substantiales; & substantias secundas, quarum illæ sunt in materia, ut in subiecto informationis, sed non inhærentis, & istæ sunt in primis, velut partes in toto.

3. Notand. Tertio notandum: quod Prædicamenta, vel sumuntur in ordine ad suum diuisum, quod est ens per se; vel prout ad inueniendum comparantur: si primo modo; dicuntur decem rerum quidditates; & tunc substantia desumitur ab hoc verbo, subsistere; si autem secundo modo capiuntur; tunc nouem genera accidentium dicuntur affectiones, & proprietates accidentales substantia: & tunc substantia dicitur illorum subiectum, & fulcimentum; capiturque à verbo subsistere: quia, ut sic, accidentibus subsistere dicitur; diciturque transcendentalem relationem ad accidens; uidelicet, substantia ad substantiam; & informati ad informans: sicut, è contra, accidens dicitur ad eam relationem substantiam ad substantiam, & informantis ad informatum: ut docet Doctor in tertio sent. dist. 1. quæst. 1.

1. Conclusio. Dicendum primo. Generalissimum substantia; quatenus substantia à subsistendo dicitur; est gradus entis realis per se, cui debetur esse in se, & per se: hæc debet esse communis: & ex dictis constat.

2. Conclusio. Dicendum secundo. Subsistere accidentibus formaliter est ueluti proprietates generalissimi substantia; explicatur: nam sicut in quidditate cuiuslibet accidentis fundatur esse formam, vel actum substantia; ita in quidditate substantia fundatur esse subiectum, & sustentaculum, accidentium: hoc posito probatur conclusio: prius substantia habet suum esse quidditatum; quam sit apta ad sustentandum accidentia: quia aptitudo ad aliquid præsupponit rem, cuius est aptitudo: ergo subsistere accidentibus; cum sit aptitudo quædam formaliter; erit ueluti passio generalissimi substantia.

Dicendum tertio. Si subsistere accidentibus radicaliter sumatur cū generalissimo huius Prædicamenti essentialiter conuertitur; patet: nam omnis proprietates alicuius essentia radicaliter sumpta essentialiter conuertitur cum ipsa essentia: ergo, &c.

ARTIC. III.

An generalissimum Substantia in primam, & secundam, diuidatur?

DIVIDIT Arist. substantiam in primam, & secundam, appellans secundam, genera, & species huius Prædicamenti; primam uero in diuisa. Quare non est parua difficultas; quid sit diuisum huius diuisio; & quomodo saluari possit; ne sub aliquo membro diuisio includatur: Pro qua si ne argumentis notandum primo, esse differentiam inter unum numero, singulare, indiuiduum, primam substantiam; suppositum; & personam; nam unum numero, singulare, & indiuiduum, in quolibet Prædicamento reperiuntur: cum ibi sint genera, & species. Vnde hæc tria in se pro eodem capiuntur; & important illud; cui diuisio in plures partes subiectiuas repugnat: ut hic homo; hæc abedo. Prima substantia, suppositum; & persona solum in hoc Prædicamento inueniuntur; & habent se, sicut superior, & inferior: omnis enim persona est suppositum; sed non è contra; quia persona tantum in intellectuali natura reperitur; & suppositum in omni natura substantia. Suppositum etiam est prima substantia, sed non è conuerso: quia natura unita uerbo diuino est prima substantia; singularis, indiuidua, ac una numero, & tamen non est suppositum: ut docet Aristoteles: de quo in tertio diximus.

Secundo notandum: quod sicut substantia dupliciter dicitur: à subsistendo, scilicet, & subsistendo: sic etiam dupliciter diuidi potest; in primam, & secundam: primo modo diuisio æquiualebit; substantia, alia communis; & alia singularis; seu alia communicabilis, alia incommunicabilis: si autem secundo modo, proprie in primam & secundam diuiditur iuxta Aristotelis mentem.

Tertio notandum: quod prima, & secunda, Substantia, uel mutuo se respiciunt, uel utraque respicit accidens. Si primo modo comparentur; prima substantia proprie dicitur fundamentum secundæ intentionis indiuidui: & secunda dicitur fundamentum secundæ intentionis speciei, aut generis, huius Prædicamenti. At uero si ad accidens comparentur; utraque dicitur subiectum inhærentis: diuersimodè tamen: nam prima est subiectum per se primo; secunda uero per se non primo: quia ratione primæ, quam essentialiter constituit, dicitur actualiter accidentibus subsistere: & hæc est differentia inter primam, & secundam substantiam, prout substantiam à subsistendo diuidunt: quæ quidem substantia sic dicta est illis communis, & indifferens, abstrahens ab utraque sicut

3. Conclusio

1. Notand.

2. Notand.

3. Notand.